

ut sibi remittat injuriam, sed ne exigat debitum. At vero, qui imperfecte satisfacit, nullum jus etiam imperfectum acquirit, ut alter sibi faciat gratiam remissionis, quia respectu ejus, pro quo non offert æqualem satisfactionem, nihil juris extinguit ex parte creditoris, et consequenter nihil juris in se acquirit, quia jus satisfaciens (si quod est) resultat ex extinctione debiti apud creditorem; unde solum est dispositivus, et proportionatus aliquo modo, ut alter sibi faciat gratiam, non ut jure reddatur.

XXXV. Aliud est de merito etiam congruo, quia meritum non respicit extinctionem juris creditoris, sed retributionem præmii, vel beneficii propter condignitatem merentis, aut quasi condignitatem, et ideo habet jus, ut distributor sibi reddat mercedem, seu debitum meriti, ordinaturque hoc ad bonum merentis, non ad bonum creditoris, sicut satisfactio, quæ tale jus non inducit contra creditorem. Unde manet solum argumentum, quod magister Nugno nimis difficile reputat, scilicet, quia satisfactio, etsi non reddat dignum, ut sibi aliquid conferatur, bene tamen ut sibi remittatur offensa, quia ad hoc tendit essentialiter: constat enim ex dictis, id non esse necessarium, quia hoc non facit satisfactio, nisi in quantum jus creditoris extinguit; si autem non extinguat illud, non reddit hominem dignum remissione per aliquod jus, sed dispositum, ut sibi fiat gratia, et hoc est imperfecta justitia dispositive, ut dictum est.

XXXVI. Ad tertium inconueniens respondetur, quod ea difficultas pertinet ad materiam de pœnitentia, quo modo pœnitentia expellat peccatum moraliter, et physice. Interim sufficiant verba S. Thomæ annotare III part. quæst. LXXXV, art. II,

in corpore ad tertium: « Quod pœnitentia expellit omne peccatum effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. » Ubi nota, quod peccatum opponitur multis, et ideo etiam a multis expellitur, ab unoquoque in suo genere: sicut forma aliqua, quæ corrumpitur, potest a multis efficientibus expelli, sicut et opposita produci, verbi gratia, peccatum injustitiæ opponitur gratiæ, ut tollenti rationem maculæ, et aversionis habitualis; charitati ratione finis ultimi, ad quem justitia ordinabatur; justitiæ speciali, ex parte suæ speciei, et conversionis ad objectum oppositum justitiæ; pœnitentiæ secundum quod dicit injuriam Dei, quam recompensare intendit pœnitentia eo modo, quod potest. Et ideo omnia ista concurrunt ad expellendum peccatum, sed non quodlibet eorum adæquate expellit, et complete, sed in suo genere, et incomplete; unde ex eo quod expellatur ab uno, non sequitur, quod est expulsum peccatum absolute, sed secundum quid, et ex parte. Sicut ergo quando sol, et homo generant hominem, sol non generat absolute, sed sub ratione corporis; homo vero sub ratione hominis, et causæ univoce: sic quando dicit sanctus doctor: « Quod pœnitentia expellit effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante, » designat aperte rationem formalem sub qua pœnitentia attingit peccati expulsionem, scilicet. « In quantum est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. » Est autem remissibile ratione injuriæ, et quia injuria etiam per gratiam tollitur formaliter, non sub quacunque ratione attingitur a pœnitentia, sed ut remissibile est ex divina gratia homine cooperante, id est,

ARTICULUS IV.

Utrum homo justus possit pro veniali peccato satisfacere ad æqualitatem?

homine aliquo modo satisfaciente, et conante ex se. Quare posito eo conatu, ante infusionem gratiæ, non perfecte peccatum est expulsum, sed tantum dispositive, et inchoative; restatque adhuc expellendum formaliter, et complete per ipsam remissionem peccati secundum infusionem gratiæ.

XXXVII. Pœnitentia autem expellit ante gratiam moraliter satisfactive imperfecte, secundum quod est remissibile peccatum mediante aliqua cooperatione, id est, dispositione nostra; gratia autem secundum quod est remissibile complete, et absolute. Physice autem expellit peccatum, quatenus inæqualitatem causat impediens physicam formam, qua formaliter tollitur; sub illa enim formalitate inæqualitatis, et injustitiæ ad Deum, non tollitur peccatum a gratia, neque a charitate, aut alia virtute, quam a pœnitentia: non autem se habet contritio, seu actus pœnitentiæ, ut dispositio physica activa, et immediata ad formam, quæ ipsam formam active producat, aut uniat subjecto, cum hoc solum fiat a Deo physice, vel ab instrumento sacramentorum, sed se habet ut dispositio physica passiva, et quasi mediata. Sicut diaphaneitas se habet ad lucem, et rotunditas cœli ad motum circularem, quæ ita disponunt subjectum ad recipiendas formas, quod tamen non illas efficiendo attingunt, sed mediare debet aliud agens, quod lucem diffundat diaphano, aut motum cœlo; per se autem expellunt formam contrariam receptioni lucis. Sed de his alibi.

I. Ratio dubitandi pro parte negativa videtur sumi ex dictis. Nam per peccatum veniale fit vere, et proprie aliqua offensa, et injuria Deo, etsi imperfecta, et secundum quid; ergo læditur aliquod jus Dei: hoc autem jus est infinitum; ergo debet satisfieri ad æqualitatem per personam infinitam, sicut diximus de mortali peccato. Antecedens manifestum est, quia Deus habet jus, ut sit finis ultimus cujuscumque actus humani, non solum habitu, sed etiam actu; nam ad omnia illa habet jus, ad quæ se potest extendere causalitas finis ultimi; causalitas autem finis ultimi non solum nata est extendi ad actus humanos secundum habitum, sed etiam secundum actualem relationem ad se, ut patet in actibus bonis moralibus; ergo qui privat actum illa actuali relatione, et ordinatione ad Deum finem ultimum, privat eum aliquo jure, et facit illi aliquam injuriam; ergo non est ad æqualitatem reparabile per actum aliquem personæ finitæ, quia in his actibus persona illa non cedit juri suo aliquo respectu Dei, sed potius auget jus suum, et perficitur per hoc, quod contemnitur, et magis subjiciatur Deo.

II. Et confirmatur, quia Deus vere remittit peccatum veniale; nam per orationem dominicam petimus: *Dimitte nobis debita nostra*, in qua petitione peccata venialia includi, patres communiter docent et ex illis Thomistæ III part. quæst. LXXXVII; ergo habet peccatum veniale veram rationem injuriæ respectu Dei, alias non esset materia

remissibilis, si non esset injuria. Quod si vere remittit; ergo et gratis; omnem enim remissionem peccati gratis fieri, et per gratiam, Scriptura passim docet, et ipsum nomen remissionis indicat; nec enim remittitur, nisi quod gratis donatur.

III. Et adhuc confirmatur secundo, quia posita illa satisfactione hominis justus, vel Deus tenetur illam acceptare secundum leges justitiæ, vel non. Si tenetur acceptare, sequitur satisfactionem pro veniali, non solum esse condignam, sed ex toto rigore justitiæ, nec magis satisfacere pro eo Christum quam hominem purum, quia supremus rigor justitiæ est talem exhiberi satisfactionem, quæ non possit non acceptari a creditore. Si non tenetur acceptare; ergo posset Deus utens jure suo hominem perpetuo privare beatitudine, quia non acceptata satisfactione, non tollitur culpa venialis, et ea non ablata, non potest obtineri beatitudo. Si ergo potest non acceptare, potest privare beatitudine, et consequenter etiam gratia, et charitate, quæ sunt gloria in semine; atque adeo de se peccatum veniale esset punibile perpetuo: et consequenter irreparabile ab ipso homine, solum autem ex misericordia Dei haberet posse reparari, et temporali pœna recompensari; quæ omnia sunt omnino absurda, et contra communem sensum Thomistarum, et theologorum, præsertim 1-2, quæst. LXXII, artic. v, et quæst. LXXXVIII, artic. i et ii.

IV. Communis tamen theologorum sententia, (excepto magistro Petro de Soto, de institutione sacerdotum, cap. xviii) tenet hominem justum satisfacere de condigno pro veniali: imo aliqui ex antiquis videntur per actus pure naturales condigne satisfieri peccato veniali; quod tamen simpliciter vitandum

est, et pater Suarez illud censurat tamquam sapiens errorem Pelagii. Nam satisfactio venialium valde conducit ab obtinendam beatitudinem; per vires autem naturæ non potest fieri aliquid ad beatitudinem supernaturalem conducens. Inducuntur autem theologi ad hoc asserendum; tum ex natura ipsa peccati venialis; tum ex natura gratiæ. Ex natura quidem peccati venialis, quia peccatum veniale ab intrinseco est reparabile, cum relinquitur in homine conversionem ad finem ultimum, ex quo reparari potest tamquam ex primo principio, quidquid retardat ipsius assecutionem; peccatum autem mortale est irreparabile ex se, quia tollit principium vitæ, scilicet conversionem ad finem, unde omnia media ordinantur, ut optime declarat S. Thomas 1-2, quæst. LXXXVIII, artic. i. Si autem peccatum veniale habet principium intrinsecum reparationis; ergo et satisfactionis, quia si non maneret principium satisfactionis in homine, et peccatum veniale exigit ad sui reparationem satisfactionem; ergo pro hac parte non esse reparabile ab intrinseco, et ita simpliciter non esset reparabile, quia ad hoc sufficit, quod ex aliqua parte reparabile non sit; nam saltem pro hac parte, quia non esset reparabile juxta satisfactionem, quæ necessario requiritur ad ejus reparationem, amitteret principium reparationis quantum ad aliquid ad reparationem requisitum, unde ex hac parte peccatum mortale esset, quia privaret principio reparativo interiori, quod est principium vitæ. Unde si sine satisfactione reparari non potest, et ad hoc principium non habet, sequitur carere simpliciter principio reparante interiori, quod est esse mortale.

V. Ex parte, etiam gratiæ idem ostenditur, quia gratia est jus ad

gloriam, non solum physicum, sed morale, quia non solum hominem renovat interiori, sed etiam remittit offensam, ut est effectus dilectionis Dei, (ut diximus supra) ita quod cedenti in gratia, non potest negari gloria in perpetuum, et hoc habet ex natura sua, cum gratia Dei sit vita æterna, et per quam sumus divinæ consortes naturæ, et in Deo manemus, etc. quæ passim Scriptura docet. Per peccata autem venialia non tollitur istud jus; ergo si non remaneret jus in ipsa gratia ad tollenda venialia voluntate non resistente, sed solum ex defectu satisfactionis, posito peccato veniali maneret illud jus perpetuo impeditum, quantum est ex se: vel ergo haberet jus ut sibi auferretur illud impedimentum, vel non. Si non haberet, esset perinde atque carere jure, quia non habere jus, ut tollatur illud, sine quo non potest obtinere gloriam, est non habere jus ad gloriam. Si autem habet, ergo potest satisfacere, quia sine satisfactione non est jus, ut tollatur. Nam quod tollatur sola satisfactione, (ut Scotus voluit) scilicet per nudam sustentiam pœnæ a D. Thoma in iv, distinct. xvi, quæst. ii, artic. iii, quæstiuncul. iii ad tertium, et quæst. vii de malo, artic. xi, præsertim ad notum: « Quia pœna directe non opponitur culpæ, ut culpa est, sed solum debito, seu reatui, quem homo incurrit per culpam; cum enim culpa sit voluntaria, pœna autem involuntaria (alias pœna non esset) fit, quod ratio culpæ non contrariatur, neque recompensatur per pœnam, quatenus involuntarie sustinetur, sed quatenus voluntarie, et sic actus voluntatis expellit veniale, non vero nuda sustentia pœnæ. »

VI. Tota ergo difficultas consistit in respondendo ad rationem dubitandi positam in principio; et quomodo actus nostri habeant æquali-

tatem cum offensa peccati, et satisfaciant pro illa; in hoc enim non conveniunt theologi. Vazquez enim disp. iii, cap. iii, tria dicit. Primum, satisfactionem pro veniali, non ideo esse perfectam, quia perfecte convertat hominem ad Deum, ut ultimum finem; sic enim etiam pro mortali esset perfecta, quia convertit hominem in finem tam perfecte, sicut mortale avertit; nec quia persona est digna et justa; nam etiam, qui est in peccato mortali facit justum, aut supponit, quia procedit ab habitu gratiæ. Secundum est, quod ideo satisfactio pro veniali est perfecta, non vero pro mortali, quia illa fit sine ulla condonatione, non ista, quia per peccatum veniale non incurrit quis debitum perpetuo carenti auxilio gratiæ, alias puniretur pœna æterna; et ideo quando datur homini, etsi gratis detur, non tamen per modum alicujus condonationis; unde per ipsum auxilium sibi datum satisfacit perfecte, quia de se est sufficiens tollere maculam venialis contritio, sicut et mortalis sine novo favore, et alias non supponit condonationem alicujus debiti, ut detur auxilium, sicut supponit auxilium, quod datur peccatori; ergo est perfecta.

VII. Tertium est, quod illud auxilium, quod datur homini justo ad tollendum veniale, est gratia redemptionis ex meritis mortis Christi, et consequenter solvit aliquod debitum, non quidem contractum ex peccato veniali, sed ex originali, vel mortali ratione cujus habet debitum carenti perpetuo illo auxilio, quo emundari potest a veniali; sicut etiam efficax perseverantia datur per Christum tamquam gratia redemptionis, tollitque aliquod debitum contractum, non ex peccato veniali, sed mortali.

VIII. Cæterum hoc tertium dictum Vazquez reputo plusquam fal-

sum, ne quid amplius dicam. Nam si in homine justo, post remissum peccatum originale, adhuc remanet debitum perpetuo carendi auxilio ad tollendum veniale; ergo homo justus cum peccato veniali haberet in se sufficiens debitum, ut perpetuo excluderetur a gloria secundum justitiam; nam habebat debitum perpetuo carendi illo principio, sine quo non poterat tolli veniale, et consequenter neque ad gloriam pervenire: ergo originale peccatum, aut mortale adveniente gratia adhuc retinet aliquid damnationis, in his qui venialiter peccant scilicet debitum perpetuo carendi principio remissionis venialium; quo si careret perpetuo, nunquam videret Deum. Hoc autem est expresse contra Apostolum Roman. VIII: *Nihil nunc damnationis est in his, qui sunt in Christo Jesu.* Quod exponens Concilium Tridentinum sessione v, cap. v, dicit: « Quod in renatis nihil odit Deus, quia nihil damnationis est in his, qui vere consepulti sunt in Christo, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. » Si autem haberent debitum perpetuo carendi auxilio ad tollendum veniale, posito veniali haberent aliquid quod remoraretur a cœli ingressu, nisi Deus ex sua misericordia vellet illud tollere; ergo haberent aliquid damnationis remorantis a cœli ingressu, quod est hæreticum. Quare justus non habet debitum privative perpetuo carendi auxilio gratiæ, aut perseverantiæ, sed non est illi debitum et gratia datur, licet per Christum ut redimentem, sicut omnis etiam gratia actualis ad operandum post justificationem, non quia quodlibet auxilium redimat formaliter ab aliquo debito, sed quia datur subjecto redempto, ex vi primariæ redemptionis dimanat.

IX. Et ita relicta ista ratione debiti, pro qua non fit satisfactio ab

homine justo (ut etiam fatetur Vazquez) in peccato veniali restat videre, quomodo pro ratione injuriæ satisfacit ad æqualitatem, et non pro peccato veniali, cum utrobique persona offensa sit infinita. Quod communiter alii auctores reducunt ad hoc, quod persona infinita attingitur per peccatum secundum quid, est finito modo, non faciendo illi injuriam simpliciter, quia non auferitur ab eo ratio ultimi finis, sicut in peccato mortali; licet ex parte objecti possint aliqua venialia peccata versari immediata erga Deum, sicut motus indeliberatus infidelitatis, aut blasphemiae, ut Cabrera advertit contra Suarez.

X. Ut ergo penetrari possit, et intelligi, quo modo peccatum veniale non lædat jus divinum, nec sit contra dignitatem personæ infinitæ, est notandum, quod respectu peccati venialis Deus habet jus per modum legislatoris, contra cujus præceptum sit actus peccati venialis; respectu autem peccati mortalis, et habet jus legislatoris, et simul finis ultimi, quod tollitur per tale peccatum subtrahendo hominem ab ipso; nam finis ultimus non potest finalizare actum, nisi finalizet etiam ipsum operantem, quia finis ultimus est finis operantis, et non solum operis; est enim finis ultimus causa ipsius efficientis ut causet, et consequenter non debet finalizare solum ipsum actum, sed etiam ipsum agens ut operetur, et eliciat. Non potest ergo causalitas causæ finalis extendi ad ipsum actum, nisi medio operante, et finalizando ipsum operantem.

XI. Unde ulterius sit, quod peccatum veniale, cum supponat operantem finalizatum a fine ultimo, non potest habere alium finem ultimum, a quo finalizetur, cum hic non possit influere in actum, nisi influendo, et finalizando operantem.

Nec requiritur, quod finis influat in omnem actum, et eodem modo, id est, in se, et formaliter; sed sufficit, quod habitualiter, mediate, et negative, id est, mediante aliquo, quod non habet contrarietatem cum ipso, nec tollit rationem finis ultimi ab illo: qui enim venialiter peccat, intendit aliquid facere propter aliquid, dummodo non contrarietur charitati, quia si contrarietur, non vult illud, et in hoc quod vult, dummodo non contrarietur charitati, finalizatur a charitate habitualiter, et quasi negative, et in alio sibi conjuncto, non in se: compatitur enim hunc modum finalizandi charitatis ipsum veniale, vel quia materia ipsa, seu objectum ita leve est, quod non est contra finem, vel quia ipsum agens non tali modo agit, quod agat contra finem, quia indeliberate agit.

XII. Sic ergo dicimus, quod jus divinum ut sit finis ultimus omnium actionum humanarum, est primo, et per se ut sit finis ultimus mediante ipso operante, et sit finis operantis: quod autem ulterius extendatur, ita ut non solum negative, sed dispositive, et formaliter influat in actum, pertinet quidem ad causalitatem finis; non tamen privatio ejus est contra dignitatem finis, sed contra extensionem quamdam hujus finis ab operante ad actum, quod non tollit, quin Deus possideat ut finis ultimus ipsum operantem, et possidendo operantem, etiam possideat, et subjiciat sibi actionem habitualiter, licet non actualiter: unde non simpliciter facit contra jus divinum, quia non simpliciter facit contra possessionem Dei, et subjectionem hominis ad Deum, sed contra modum juris divini, quia scilicet Deus non omnimodò subjicit sibi illum actum, id est, secundum relationem actualem in Deum; bene tamen secundum

habitualement. Facit tamen contra Deum, ut legilatorem, quia in rei veritate contra legem virtutis aliquis est peccatum veniale, utpote displicens Deo, non tamen est contra finem legis, ut bene observat Cajetanus 1-2, quæst. LXXXVIII, artic. 1, in calce commentarii, qui: *Fuis legis est charitas*, ut dicit Apostolus, quam veniale non tollit, sed solum impedit egressum ejus ad extra, id est, ad actionem, et materiam virtutum; ideo peccatum veniale non facit peccantem Deo displicentem, quia non tollit charitatem, et gratiam, licet ipsum peccatum Deo displiceat, et ideo macula ejus non est proprie, et simpliciter macula, quia non tollit interiorem pulchritudinem, sed solum impedit, ne exterius appareat, sicut pulvis, aut lutum inhærens in facie, ut bene notat S. Thomas in IV, distinct. XVI, quæst. II, art. 1, quæst. II et III, et artic. II, quæst. I ad primum, et 1-2, quæst. LXXXIX, artic. 1.

XIII. Ex his ergo respondetur ad argumentum ex ratione dubitandi, et dico ad antecedens, quod per peccatum veniale fit aliqua offensa secundum quid, et contra præceptum, sed non contra finem præcepti. Et ad consequens: ergo tollitur jus secundum quid, et quoad aliquam extensionem, concedo; in se simpliciter, nego. Et ita non tollitur jus infinitum simpliciter, sed secundum quid, id est, modus, seu extensio juris infiniti. Et ad probationem distinguo antecedens; Deus habet jus, ut sit finis ultimus, non solum habitu, sed etiam actu, eodem modo respectu utriusque, nego; diverso modo, concedo. Est enim Deus finis ultimus in actu ipsius operis mediante finalizatione ipsius operantis; unde qui facit contra finem operis, et operantis, tollit jus finalizationis divinæ simpliciter: qui autem non facit contra finalizationem operan-

tis, sed operis, non tollit jus divinum simpliciter, sed secundum quid, retinetque radicem, unde possit ipsam extensionem finalizationis, et causalitatis divinæ resarcire; atque adeo non lædit jus divinum proprie, et simpliciter, sed secundum quid, id est, secundum quemdam modum, seu extensionem.

XIV. Et ad ultimum; ergo qui actu non ordinat, facit contra aliquod jus impediendo illud, quoad extensionem, et modum aliquem, concedo; tollendo ipsum jus, quoad principalitatem, et radicem ejus, nego. Manet enim jus, divinum quoad hoc, quod habetur pro fine ultimo ab ipso operante, in quo radicaliter est tota ratio divini juris, licet non maneat extensio, qua Derivatur in actum, ut actualiter referatur in ipsum finem in ratione actus. Unde quamdiu non tollitur jus supra ipsum operantem, sed tantum retardatur, et impeditur ne exeat in opus, non tollitur jus a Deo, etiam quod habet, ut opus ad se referatur actualiter, quia ibi manet radicaliter hoc jus, quamdiu ei operans manet subordinatum, licet impeditum. Et ideo non requiritur quod aliqua persona cedat juri suo, ut ad æqualitatem satisficiat, sed quod retardationem istam tollat ex vi ipsius subjectionis ad Deum ex parte operantis, in quo radicaliter conservatur jus divinum, etsi non explicatur.

XV. Et ad instantiam Vazquez, quod vere est offensivum Dei peccatum veniale, et contra præceptum ipsius, respondetur esse vere offensivum et contra legem; non contra finem legis, neque contra amicitiam Dei, unde non fit Deo injuria simpliciter, et proprie, nec tollitur jus, sed solum inobedientia contra legem. Ut autem recompensetur inobedientia, quando solum fit contra

legem, et non fit proprie injuria legislatori, non requiritur persona infinita, quia non requiritur ad satisfaciendum persona, quæ cedat juri suo, qualis est divina, sed quæ subdatur per obedientiam, qualis est creata. Non habere autem ipsum pro fine ultimo in peccato mortali, est injuria proprie loquendo, quia quasi subtrahitur ab ejus dominio in genere causæ finalis, et rebellat contra Deum ponendo finem in creatura, juxta illud Job xxiv: *Ipsi fuerint rebelles lumini: Jeremiæ II: Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas.* Unde ad hanc injuriam tollendam requiritur, quod aliqua persona, quæ possit cedere juri suo satisficiat. Nulla autem creatura quantumvis perfecta cedit juri suo ex parte personæ humiliando eam; quin potius perficitur ex eo quod subjiciatur Deo, sed solum imperfecte subjiciendo illi actum per poenitentiam recompensat.

XVI. In peccato autem veniali, quia non tollitur jus finis ultimi, si quidem persona manet sub illo vere, et si non actu non requiritur ad æqualem satisfactionem, quod persona cedat juri suo, sed quod actus subjiciatur, et tollat retardationem, et impedimentum hujus juris. Nec sequitur æque nos satisfacere pro veniali atque Christus, quia etsi non esset necessaria ejus persona infinita ad satisfaciendum, semper tamen satisfactio erit perfectior, et abundantior ex parte personæ, et alias ex toto rigore. Nam quod dicit Vazquez efficacior esse propriam satisfactionem, quam Christi ad emundandum nos a peccato, sequenti disputatione confoditur.

XVII. Ad primam confirmationem respondetur facile, Deum vere, et proprie remittere peccatum veniale dando gratis pretium, quo reddatur

illi satisfactio, et reparatio illius per formalem gratiam sanctificantem, seu auxilium, non autem quia sine satisfactione illud remittat et hoc est remittere debitum æquivalenter: nam in idem recidit, quod debitori remittatur formaliter peccatum, et quod a creditore detur pretium, quo sibi solvat ad æqualitatem. Unde opera nostra sine gratia a qua procedunt, non haberent satisfacere ad æqualitatem pro veniali.

XVIII. Adde quod etiam de facto sæpe fit vera, et formalis remissio peccati venialis, quoniam scilicet ipse motus, seu actus ratione cujus remittitur, non est directe contra veniale, sed virtualiter tantum: tunc enim Deus supplet remittendo, quod actus non habet formaliter tollere, sicut in aspersione aquæ benedictæ, et aliis sacramentalibus docent peritiores theologi, infra quæstione LXXXVII.

XIX. Ad secundam confirmationem respondetur unico verbo, quod Deus potest non acceptare de facto illam satisfactionem, si consideretur ut supremus Dominus; non tamen si consideretur ut justus iudex, quia Deus ex suppositione talis satisfactionis debet necessario judicare, quod illa sit condigna respectu talis peccati, et ita non judicat insufficientem. Quia tamen est supremus Dominus omnis creaturæ potest non acceptare illam, non quidem jure iudicii, sed jure supremi dominii, ratione cujus etiam hominem justum (imo beatum) potest perpetuo privare gloria de potentia absoluta. Unde illa satisfactio, ut de facto acceptetur, indiget pacto, et lege Dei, non quidem favorabili, et supplente aliquem valorem in satisfactione, sed tamquam conditio applicans, et requisita, ut de facto non rejiciatur a Deo tamquam supremo Domino, quod nullatenus minuit condignitatem, et æqualitatem satisfactionis

in genere justitiæ, quia justitia diminuitur quidem ex eo, quod fiat mediante aliquo favore, et pacto extrinseco; non tamen ex pacto per modum contractus, qui antecedit ipsam operationem, non superveniat ipsi.

XX. Unde solvitur illa difficultas, quam sæpe, et importune inculcat Vazquez, quod si justificatio nostra, præter formam interius renovantem, requireret pro complemento pactum, et acceptationem Dei, illa forma non esset condigna ad justificandum, quia illa posita adhuc maneret aliquid, quod displiceret Deo, indigens pacto, et, et acceptatione ipsius ut remittatur. Sed ex dictis hoc facile explicatur. Nam in justificatione nostra (ut supra dictum est) requiritur quidem favor, et remissio gratiæ, non tamen superveniens gratiæ, sed causans gratiam, a qua ipsa gratia dimanat, ut effectus gratiæ dilectionis Dei, sed etiam in satisfactione omnino æquali illa acceptatio, seu pactum dicitur esse complementum, non ad præstandum dignitatem, et supplendum valorem, qui desit illi formæ, sed ut applicans ipsam condignam satisfactionem, ne rejiciatur a Deo; sicut laborans in vinea facit actum condignum mercede, et tamen nisi fiat pactum tamquam applicatio illius laboris ad conductum, non tenetur illud solvere ex justitia, non quia id requiratur ad supplendum valorem, sed ut applicatio, ut de facto solvatur ex justitia, sed de his alibi.

DISPUTATIO II.

DE SATISFACTIONE DEI HOMINIS.

I. Tria sunt, quæ præcipuam difficultatem faciunt circa satisfac-